

Zur
Gräfl. vom Hagen'schen

Majorats - Bibliothek



MÖCKERN

gehörig.

N^o 2328

subl.

an Fa 1400

Handwritten scribble

Handwritten notes:
= 00
00
00
00



THEODORICI SIZMANI
Tyrigetz

12

EPIDIGMA
EPIGRAMMA,
TICVM.

*Consecratum Viris CL. Amicis,
& Fautoribus, omni benevo-
lencia studio profe-
quendis.*



J E N A

Typis Tobia Steinmani,
ANNO 1602,

Do. M. Johanni Weiskio P. 2. mis





Viro integerrimo

V V O L F G A N G O
Z S C H E T Z S C H I N G I O , O F -
F I C I O R V M D O R N B E R G E N S I S
& C A M B E R G E N S I S P r æ f e c t o l o n g è d i -
g n i s s i m o , F a u t o r i m e o o m n i o b l e r -
v a n t i æ s t u d i o c o l e n d o , & c .

☉ * ☉



Vi mitto tenuem meum libellū,
Non versu lepido probè refer-
ctum,

Levi pumice nec sat expositum?
Z S C H E T Z S C H I N G I , t i b i , n a m q ; t u s o -
l e b a s

Nostrum Vinariæ probare Carmen ,
Iam tum , cum ferulâ sub implicatâ
R O T H I I vigilantis educarer ,
Docti , Iupiter , & Viri periti ,
Quare suscipe quicquid hoc libelli est ,
Qualecunque , quod ô patrona Clio
Aeternet memoris vigore Famæ ,

Th. Sitzman, P. L.

A 2 M. MI.



M. MICHAELI ZINZER-
lingo, Theologo Tungedano.

Alliciunt avidos spumantia pocla bibones,
Allicit audaces bella puella procos,
Allicitur sonitu vaga saltatrixula; miles
Allicitur cetris Mars homicida tuus.
Allicitur Crassus flava clangore moneta,
Allicit opratus viscera nostra cibus.
Allicis & tu me perdulci fumine plus quam
Pocla, puella, sonus, cetra, moneta, cibus.

ANDREIAE MERGILETO,
Theologo Mylsfeldensi, & P. L.

Belligerat, gaudetq; suos defendere Belga,
Belligerant gelidi, plebs truculenta, Getæ.
Belligerat vibrans hastilia cornea Gallus,
Belligerat volucru Thrax agitatus equo.
Belligerant Brabantigenæ, Maurosq; trucidant,
Belligerat culti pestis Iberus agri.
Belga, Getæ, Gallus, Thrax, Brabantinus, Iberus,
Belligerent! Nos Pax, docte Poëta, beet.

ANDREIAE CLEINIO,
Theologo VVertheimensi.

Corruiit urbs Gray Saxis exstructa Carysti;
Corruit equatus grandior agger humo.
Corruit hostili superatus ab agmine murus,
Corruit armigerâ porta subacta manu.
Corruit

*Corruit, exemplo Memphitica tecta, columna,
Corruit è Pario marmore facta domus.
Corruit omne ! manent Cælestia dogmata : nil sunt
Vrbs, agger, murus, porta, columna, domus.*

IOHANNI BERENHARDO
Titio, Medico VVertheimensi.

Delicias curis dat vita soluta severis ;
Delicias Sponso Sponsa novella parit.
Delicias hominum favor exoptabilis auget ;
Delicias soboles multiplicare solet.
Delicias promit victrix Sapientia Sortis,
Delicias docto fert bona Fama viro,
Vita, Sponsa, favor, Soboles, Sapientia, Fama.
Delicias iunctim dant BERENHARDE tibi.

M. HVLDERICO BVCH-
nero, Poëtæ, Anagrammatistæ CL.

Exornat dios ars ingeniosa Poëtæ,
Exornat puri carminis ille nitor.
Exornat sacros Laurus redimita capillos,
Exornat croceus Gloria vecta rotis.
Exornat turgens meliori sanguine vena,
Exornat prisca que phrasis usa fuit.
Exornat te (quei non sis BVCHNERE Poëta ?)
Ars, Carmen, Laurus, Gloria, Vena, Phrasis.

A 3 CHRI.

CHRISTOPHORO VITZ.

thumb ab Eckstedt, Iuveni No-
bilissimo.

Felix cui Lydas Iuno dat regia gazas,
Felix in gremio quem tenet alma Themis.
Felix cui Phœbus dat scandere cubrina Pindi,
Felix quem circat Gratia brachiolis.
Felix cui prudens Pallas sua claustra recludit,
Felix cui Nympham sponder alacris Amor.
Felix es, quoniam tibi debita munia præstant,
Iuno, Themis, Phœbus, Gratia, Pallas, Amor.

ZACHARIAE PALTHENIO

I. V. D. & Bibliopolæ Fran-
cofurtensi.

Grata venit molli frugalior esca Palato,
Gratum Cecropijs quod mel Hymette parit.
Gratior Artocreas lautorum pompa ciborum,
Gratæ chebulæ decolor Inde tuae.
Grata recurvatâ deposta paropside liba,
Grata ferina, meæ res peregrina gula.
Esca, mel, Artocreas, chebulæ, liba, ferina,
Grata; sed hisce tuus est mage gratus Amor.

M. ANDREIAE VILCKIO,

Scholæ illustris apud Gothanos
Rectori.

Heu ubi nunc Candor? latebrosis hæret in an-
Heu ubi nunc Amor? ex orbe fugatus ijt. (triv.)
Heu ubi nunc Pietas? loca desolata petiuit,
Heu Astræa later nunc ubi? capta polo est.

Heu

Heu ubi nunc sincera Fides ? proh nullibi. Veri
Heu ubi nunc Dea ? quam nomen inane prope.
Candor, Amor, Pietas, Astræa, Fides, Dea Veri,
Heu ubi nunc & nusquam. regnat in orbe Dolus.

IANO HEINRICO SCHRO-
tero, De Guffrovv, Megapolitano,
Eq. & P. L. C.

Interijt cineres in adustas Sparta redacta,
Interijt, Cadmi regia grata, Tyrus.
Interijt Babylon miraculum nobile mundi,
Interijt longâ Trôia fracta mora.
Interijt veteris fragilissima Gloria Romæ,
Interijt turri conspicuunda Pharos.
Intereunt & adhuc urbes, velut interiére
Sparta, Tyrus, Babylon, Troia, Roma, Pharos.

LAVRENTIO BAVNACHIO,
VVertheimensi, LL. Studiofo.

K Anchrys quid ? roris flos dicitur esse marini,
Karthago ? Lybici gloria prima soli.
Kis ? vermis terebrans facundum cuspide semen,
Kastor ? fricator Martius acris equi.
Kassia ? cinnameos radix quæ sumit odores,
Koccyx ? quæ matrem perdere suevit avis.
Kanchrys, Karthago, Kis, Kastor, Kassia, Koccyx,
Kar videat quid sint ! sat mihi, me quod ames.

GEORGIO Freundi / VVERT-
heimensi, LL. Studiofo.

Laudis inops vivit lustris lenonis inhaerens,
Laudis inops vivit garrulus atq; loquax.

A 4

Laudis

Laudis inops vivit lucri sectator avari,
Laudis inops vivit fur, cupidusq; latro.
Laudis inops vivit cui cordis prava Libido,
Laudis inops vivit sutilis, atq; levis.
Laus tua nota satis; Rectum colis, & nihil ad te
Leno, loquax, lucrum, latro, libido, levis.

IOHANNI PREGERO, LON-
gofalifano, LL, Studiofo.

Marces splendidulae decus irreparabile formae,
Marces turgidulas picta Iuventa genas,
Marces aetatis vitiatum dente vigores,
Marcescunt flores quos Zephyritis habet.
Marces Baccheus fruticeta repleta corymbis,
Marces virgineam facta corolla manu,
Forma, iuventa, vigor, flores, fruticeam, corolla,
Marces; in mundo marces & omnis homo.

IOHANNI ANGVILLAE,
Theologo Rudeftetino.

Non est à Stygijs pia femina tuta venenis,
Non vir amans purae religionis opus.
Non senior niveo velatus timpora crine,
Non modò qui cunas pusio IANE gravat.
Non dives largo congestans scenore nummos,
Non, plateis complens murmure, panis inops.
Nil non contemnerat Sathanas, hunc iure tremiscunt
Femina, vir, senior, pusio, dives, inops.

IONAE

IONAE GLEINERO, SCHOLAE
Vinariensis Conrectori.

Otia pauperie reddunt opulencia regna,
Otia sunt magnis exitio Ducibus.
Otia non fixas doctus dant pigra placentas,
Otia non-doctus æra sonora negant.
Otia vastarunt, & adhuc quoq; mœnia vastant,
Otia gens quando, pane carebit, aget.
Regna, Duces, doctos, indoctos, mœnia, gentes,
Otia pessundant; Murcia vade procul.

IVSTO ZINZERLINGO
P. L.

Pulcra fuit mulier Cephæus æmula Nymphis,
Pulcra colens Triviam Virginitate Deam,
Pulcra prior virgo Penæis Apollinis ardor,
Pulcra sagittifero de genitore sata.
Pulcra pater flavam cui desponsavit Ianthem,
Pulcra tui pellex Deianira viri.
Cassiope, Syrinx, Daphne, Thetis, Iphis, Iole,
Pulcra, at pulcra magis Cyeni-Melilla tua est.

M. IACOBO ROSEFELDO,
P. L. C. Sponso.

Quis felix Sponsus? cui iungitur æqua Marita,
Quæ vigeat formæ splendoritate suæ!
A 5 Que

*Quæ facilis tristes pellat de pectore curas,
Quæ vincat duri gnava laboris onus.
Quæ sit, purpureo suffusa Pudore, modesta,
Quæ pia Cælestem semper adoret Herum.
Quæ non sis felix? Tibi iungitur (ecce) Marita
Aqua, decens, facilis, gnava, modesta, pia.*

CASPARO BONIFACIO, VI-
nariensi, Poëtæ & Philologo.

Ronchus amat Parthi lethalia tela ferosis, (bos.
Ronchus amat volucres, plumbea signa, glo-
Ronchus amat Galli, ferrum penetrabile, gesas,
Ronchus amat clypei fulgidioris opus.
Ronchus amat nigris annexum calcar alutis,
Ronchus amat contos, sæve Gradive, tuos.
Tela, globos, gesas, clypeos, calcaria, contos,
Ronchus amet; noster nobile carmen amor.

FRIDERICO HERDAE, TY-
riggeræ, P. L.

Sint alijs Sarda, quæ circulus ambiat auri,
Sit bonitas gemmæ, clare Pyrope, tuæ.
Sit teneros imitatus onyx feliciter ungues,
Sit granum, rubri quod parit unda maris.
Sit Iavo Phæboꝝ sacer Sapphirus; Amoris
Sit grave propellens suavis Iaspis onus.
Sarda, Pyropus, Onyx, granum, Sapphirus, Iaspis,
Sint alijs; Nobis si bona fama, sat est.

BONA-

BONAVENTURAE Gauer /
LL. Studioſo.

Tempus mœſtitia levat ærumnabile pondus,
Tempore non feritas, quæ fuit antè, manet.
Tempore deſiſtit mos inveteratus avorum,
Tempore ſapè redit, ſapè recedit amor.
Tempore villoſi compeſcitur ira Leonis,
Tempore conteritur durior imbre Silex.
Tempus cuncta poteſt; arreſtabuntur id ipſum
Mœſtities, feritas, mos, Amor, ira, Silex.

IOHANNI ERMICHIO,
Sympatriotæ meo dilecto.

Vive pius, licet exſilium mala quæq; minetur,
Vive pius, mortes iam licet accelerent.
Vive pius, probris licet allatrere profanis,
Vive pius, vinclis ſis licet implicatus.
Vive pius capiti licet inſtent mille pericula.
Vive pius, carcer te licet excipiat.
Exſilium, mortes, probra, vincla, pericula, carcer,
Vt crucient homines; tu tamen eſto pius.

CASPARO Heilfrifſchio / VA-
riſco, Amico meo ſuſpiciendo.

Xenia dem? lamnis careo mercabilis auri,
Xenia dem? cenſu non ego conſpicuus.
Xenia dem? nobis Fortuna negavit opum vim,
Xenia dem? merces non mihi vendibiles.

Xenia

Xenia dem? parulâ non est thesaurus in arcâ,
Xenia dem? pratum non habeo, nec agrum.
Lamina, census, opes, merces, Theſaurus, agellus,
Xenia, nil horum cum mihi ſit, tibi dem?

M. MARTINO VVLPIO Fr.,
Confalaneo meo unicè charo.

Ydrus Aristoteli natrix, quod Gaza fatetur,
Idrops corporibus languor aquoſus ineſt,
Iſtrix eſt animal ſetis dumalibus horrens,
Imno laudantur dulciſonante Dÿ.
Idraulſ ſonus elicitur ſalientibus undis,
Imen connubium, connubijq; Deus.
Ibriſtes ſpernens tu parcis quarere quid ſint
Idrus, Idrops, Iſtrix, Imnus, Idraulſ, Imen.

IOHANNI REINHARDO,
Vinarienſi, Amico meo principi.

Zeugitæ quid ſunt? Calami ceu Plinius author,
Zancle quid? Siculis urbs habitata viris,
Ziger quid? Medicum nigraſcens Caſſia turbe,
Zeno quis? Princeps Stoica ſecta tuus.
Zea quid? authores ſpeltam dixere Latini,
Zeugma quid? Aſſyrijs manſio grata fuit.
Zeugitæ, Zancle, Ziger, Zeno, Zea, Zeugma,
Zeds curet quid ſint, tu mea cura. Vale.

APPEN-

APPENDICVLA

Superiorum Carminum:

IACOBO FABRICIO

ROSTOCHINO, IATRO-
poëtæ doctissimo.

HOSPIA *letitiâ merito, blandiq;* FABRICI
Est delibuta risibus;

Quum se materiemq; tui, famamq; perennem
Sentiscit esse carminis.

Mirariq; sua decus audit nobile formæ
Cum Daniâ Germaniam:

Mitto viros doctos ope Græco-Latina per orbem
Quorum Venus superstiat.

Salve virginei flos integer HOSPIA cætus,
Salve FABRICI Varnice!

Donec blanditijs teneri pascentur Amores,
Laus vestra non silebitur.

E I D E M.

Q*uicquid habent Medici, satagis perquirere*
mente,

Quicquid habent Melici discere gnauus amas.
Ipsè sagax rectos monstrat Latoniùs usus

Graminis, ut Medicus; carminis, ut Melicus.
Applaudit Phisice Medico, Therapeia triumphans

Clamat Id, faciles ducit Hygeia choros.

Applau.

Applaudunt Musæ Melico, Charitumq; caterva,
Ridet ab Idalio vertice compta Venus.
Mox reliqui tremulâ subiungunt roce Deastri!
Huic ars perpetuum dat Pataræa decus.

IOHANNES BERENHAR-
DUS TITIVS Medicus,

αἰαζαμπαλιζόμενος.

Vnio mirè decens tibi datur; Sanus es?

Hæcenus OTILIAE deslesti funus ademptæ
Fastidiosâ pressus ægritudine,
Quæ cruciamenti vitiatum corpus amaris
Nullo die vives habere siverat.

Ecquid nunc TITIVS post tot tantosq; dolores
EN VNIO MIRE DECENS TIBI

DATUR.

(miscis,

SANVS ES? an languescis adhuc? an sæpè ge-
Frontem cupresso vinciendo funebri?
Margaris hæc si non totâ de mente fugabit
Curas tuas; re non potes valescere,

AD VENEREM ARMATAM
Ex Græco A. Politiani.

Quid Venus incedis galeata? quid æneus armat
Fœmneum thorax pectus, & hasta manum?
Instrumenta tibi, scias, non data bellica, festum
Postulat officium connubiale tuum.

Ad pu-

*Ad pugnam non armor ego, verum arma Gradiui
Induor, ut pugna non memor ille fiat.
In me nam sola Venerem sic nactus, & arma,
Discupiet thalamo semper adesse meo.*

CASPARO BONIFACIO

Vinariensi P. L. Cæsareo.

Conficit ingrato quoties me cura dolore,
Arripio CYRAS, culte Poëta, tuas!
Hu lectis, nostrâ cura de mente recedunt,
Vt ô inest CYRIS prodigiosa tuis.

A D B A S S V M.

Cvm voco te Dominum, ne B A S S E suberige
Sic etiam vilem sæpè saluto cocum. (cristam,

IOHANNI REINHARDO

Vinariensi.

Lvmna Margaridos non mirer? Alacriter ex his
Fervidus igniculos eiaculatur Amor.
Sunt vice sermonis crebri, mera fulmina, nutus;
O fuge! sed prodest nil fuga, vulnus alis.

D E R V F V L O.

RV F V L V S iste quis est? Cretensis? remur.
Odora

Promittit nobis cinnama, præstat olus.

O hominem lepidum! Quod si promissio dices
Redderet, hoc ne aliquis ditior esset Homo?


A D

AD INVIDVM.


Qui pro carne soles alienum rodere carmen;
Ecce novas epulas Invide Lector habe.
Si non apta tuis fuerint hæc fercula baccis,
Vel quia lauta minùs, vel quia pauca nimis.
Me properanter adi, vacuus non ipse recedes,
Accipies merdam, si metra defuerint.

F I N I S.











44/44

AB 44 ^M/_{K,4}

ULB Halle 3
002 680 319



